sum, ex omnibus orbis terrarum angulis cuncta, ad opprimenda bonarum ar-
tium studia confluxisse mala? Et quod trito dicitur proverbio; Nullum
malum solum sed concomitantibus aliis nos accedit, illud quoq; hic meretur
locum. Haud satis erat, ut studia tunc temporis statum experiri cogerentur
tristissimum perferendo tristem Martis saevi saevitiam; Verum huic Mavortis
furori comites etiam sese adjungebant malignorum quorundam geniorum cona-
mina turpissima. Hi n. plenis odii velis in studia illa vecti optima omnem
movebant lapidem, ut in pacatis jam habitaculis consuetos Musarum amores
eriperent, ad Garamantes usq; et ultimam Thulen protruderent, hacq; ratione
miseros Mortales variis vitiorum plaustris frangerent ac corrumperent.
Heu detestanda conamina! Perspectum equidem ac percognitum habebant
malae sane mentis homines, quod Ecclesia atq; Respublica maxime nitatur
studiis his humanioribus, quod sine illis vita mors sit et vivi hominis sepul-
tura, quod res sint omnium pretiosissimae ad vivendum omnibus. Quocirca
omnes suas eo dirigebant cogitationes, quomodo impedimentis va-
riis mentes hominum ab utilissimis illis bonarum artium studiis avocare,
optimarumq; virtutum patronos in omnium scelerum possent transmutare
mancipia. Sed valeant illi, ad Lethaeas se recipiant undas turpissimi homi-
num. Nos studia omni amore prosequimur, nos illorum cultoribus singula-
ri benevolentia conjungimur. Et quidni artes ad humanitatem viam aperi-
entes amplexarer? quisquis semel literarum illos campos felici saltu in-
gressus, mox jucunda quadam Metamorphosi in alium qs. hominem de-
migrat, alios mores aliud ingenium sibi fingit. Unicum perfugium, quo
semper utimur, sunt literae. Hae adolescentiam alunt, senectutem oblectant,
secundas res ornant, adversis solatium praebent, delectant domi, non
impediunt foris. Quidni artissimo amoris ac benevolentiae vinculo
indefessis studiorum cultoribus esse conjunctus, cum nulla profecto
major intervenire possit amicitia nisi cum illis. Hi n. sunt qui am-
plissima literarum gloria tantum honoris atq; eruditionis ascenderunt
fastigium, ut nulla aut temporum vetustas, aut vetustatis oblivio
quicquid de illius decore delibare queat. Habeant alii omnes fortunas
cum Croeso, numerent cum Polycrate felici candidos dies, fluant ultro
dormienti in gremium victoriae cum Timotheo, delectationem in-
de hauriant suam, non ego. Sectatores diligo literarum, quia pro-
fessio bonarum artium in alio etiam delectat corpore locata. Hanc qui-